



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Resolutiones Pastorales De Præceptis, Vitiis Capitalibus, Et De Sacramentis

Marchantius, Jacobus

Coloniæ Agrippinæ, 1655

V. De requisitis ad celebrandum & de stipendio celebrantis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41699

stro: & si in loco sit ubi desit aliquid ex minoribus ornamentis, puta Stola, vel manipulus aut cingulum, posse sine illo celebrare. Quæ omnia ut probabilia admittit *Diana*. Aliqui contradicunt, quia tunc non obligat præceptum Missæ, ideoque non est necessitas, nec ex parte celebrantis, nec audientis.

CAPUT V.

De requisitis ad celebrandum, & de Stipendio celebrantis.

1. **QUAERO:** *An necessaria sint vestes sacra, & quæ?* Resp. necessarias esse: nimirum, Amictum, Albam, Cingulum, Manipulum, Stolam, Planetam: ita ut nullo casu liceat celebrare sine vestitu illo sacro. Si tamen in casu necessitatis una ex minoribus desisset, puta Cingulum, vel Manipulus, vel Stola; multi existimant non fore mortale, sine ea celebrare: multò minus si quis per inadvertentiam aliquarum omittat.

2. **QUAERO.** *An omnes hæ vestes debeant esse benedictæ?* Resp. Doctores communiter, omnes debere esse be-

nedictas, alioqui mortaliter peccari. Excipiunt aliqui Cingulum, cujus benedictionem non esse necessariam, probabilis sententia asserit: Et testatur *Scot. ac Richard. in 4. d. 17.* in aliquibus Regionibus morem non esse, ut benedicatur. Passim videmus licet quandoque sit benedictum, si tamen frangatur, solere utramque partem connecti sine alia benedictione; quod licitum esse docet Em, Sa. Soto, & alii. Adde cum aliquibus, licitum esse uti Stola pro Cingulo, atque Manipulo, loco Stolæ, si sufficientis longitudinis sit: Durant verò benedictiones, quamdiu istæ vestes manent integræ, ac formam suam retinent. Unde si avellatur planè Manica ab Alba, benedictionem amittit, & licet denuò assuatur, iterum benedicenda est: secus si paulatim reficiatur. Quantum ad Stolum & Planetam, si sint duplices, alium intus, alium foris colorem habentes, & separentur: utramque partem benedictionem retinere, asserit Suarez: cum utraque illarum tota Planeta sit & Stola, &

1. & unâ benedictione benedicantur, tanquam essent duæ Planetæ ac Stolæ.

3. *QUAERO. Quanam præter vestes sint necessaria ad celebrationem?* R. requiruntur præter Altare fixum vel portativum, Mappas, Corporale, Pallam, Calicem, Patenam, Candelam, Missale, Panem, & Vinum, de quibus sequentia sunt notanda.

1. Duas Mappas requiri, aut unam simplicem. Quidam etiam docent unâ sufficere; quod ob necessitatem, seculo contemptu admitti potest; ordinatio autem non nisi super duplici Mappa seu Tobaleâ celebrandum est. Neque verò Mappas benedici est necessarium. Ultra id requiritur Corporale lineum benedictum, cujus potest esse extremitas serica. Et durat benedictio mandiu manet integrum, per ruperionem autem notabilem perit. Deinde de Palla requiritur, quâ Calix cooperitur, & ex parte inferiori convenit esse lineam, exteriori autem parte potest esse serica vel aurea. Olim unum erat tantum Corporale oblongum,

quo etiam tegebatur Calix : & tunc non erat necessaria alia Palla , quod etiam nunc apud Carthusianos observatur. Cum autem Pallæ non contingant Hostiam consecratam, non videtur necessaria benedictio, quæ in Corporali omnino sub peccato mortali requiritur.

2. Requiritur munditiæ ornamentorum & vestium, maximè Corporalis. Quod si quæras quale peccatum sit, si immundities reperiatur? Resp. DD. si sint enormiter immunda, aut si fiat cum scandalo vel contemptu, erit mortale: si non sint enormiter immunda, nec scandalum sit, aut cōtemptus, veniale.

3. Requiritur ut Calix sit consecratus & Patena; debentque esse aurea, vel argentea, vel stannea. Si deauratio amittatur, non ideo perit consecratio, quia totus Calix & tota eius materia per modum unius consecratur. Quod si deauretur postea Calix vel Patena, ex ea parte, qua Corpus & Sanguinem contingit, iterum consecranda sunt: quia id in quo fit proximo

mè contractus Corporis & Sanguinis, jam non erat consecratum. Perditur porrò consecratio, si notabiliter frangantur, ita ut formam & quantitatem amittant, quæ ad earum convenientem usum est necessaria. *Quæres*, an Pixis, in qua servatur Eucharistia, debeat esse benedicta? *Respondent* multi DD. in jure non inveniri præceptum: ordinariè tamen solet benedici, & hoc tutius; quia ordinatur ad tangendum immediatè Corpus Domini. Unde adverte in nuda Pixide, maximè si sit argentea, rectius collocari particulas consecratas, quàm in parte Corporalis in Pixide posita: quia cum particulae renovantur, difficilius est id perfectè peragere; & non fit sine periculo purgatio Corporalis intropositi, solent n. particulae facilè dissilire. Quod etiam advertit *Possevinus*, & apud PP. Societatis video in usu esse: quamvis aliqua Pastoralia insinuent substernendam intus Corporalis partem. Cæterum contactum Calicis, Patenæ, Pixidis, Corporalis, sine contemptu à laicis factum,

Etum, non existimo nisi veniale. Idem quod de Pixide, dic de Lunula in Re-monstrantia Sacramenti; quam licet aliqui putent non necessariò benedicti; est tamen tutius; quia immediatè tangit Sacramentum, Et hæc est praxis Ecclesiæ

4. Lumen sub peccato mortali requiritur, in rigore tamen sufficit una candela, quamvis duæ ordinariè ex decentia adhibendæ sint. Sufficit etiã in necessitate Lumen Senaceum. *Quæ-
rere* verò hic potest quis: An sit etiam præceptum, ut ante Eucharistiam in templis semper lumen ardeat? *Respon-
dent* aliqui, licet expressum in jure non reperiatur, consuetudinem tamen univ-
ersalem Ecclesiæ, habere vim præ-
cepti *Ita Victorellus, Em. Sa* & quidam alii. Sed hanc consuetudinem non esse ita universalem, patet ex multis Eccle-
siis Parochialibus, maximè Ruralibus ubi propter paupertatem hætenus non fuit solitum lumen continuum accendi. Et licet Episcopi eam consuetudinem introducere conentur variis de-

cretis

cretis, ut videmus vix observari à sub-
ditis ob paupertatem. Disceptat enim
illi de expensis, quorum sit eas susti-
nere, an Ecclesiæ, an decimas perci-
pientium, an communis populi; sic-
que decretorum executio vel differ-
tur, vel non fit. Extat porro præceptum
de lumine, quando defertur Sacramen-
tum foras, capitulo *Sanè de celebrat.*
Missarum. Ex causa tamen illud etiam
omitti posset, ut cum ad agrum longè
distantem defertur, nec commodè
cum lumine fieri potest.

5. Requiritur Missale, in quo saltem
sit integer Canon: cum enim memo-
ria labilis sit, non licet in actione adeo
sacra & publica, periculo se exponere.
Adjici solet & Cruces ex Rubricis Mis-
sals, sed hanc non puto requiri de præ-
cepto riguroso, saltem sub mortali.

6. Quantum ad materiam, vinum
non debet esse corruptum, sic nec pa-
nis; & hic debet esse azimus, nec nota-
biliter fractus, & magnitudinis decen-
tis: si haberi major Hostia non possit,
an ex minoribus liceat adhibere? Re-

spondeo in Missa privata & secreta id fieri posse, cum non inveniatur preceptum in contrarium; gratiusque videri Deo sic celebrare, quam non celebrare, licet non sit festus dies, maxime si non sit periculum de scandalo, tunc enim id etiam urgente causa publice fieri nihil vetaret.

Casus. Quidam Parochus nullam habens majorem Hostiam, veritus populi scandalum aliquod aut murmur, dum minorem Hostiam consecrasset, in elevatione Sacramenti ostendit alteram quandam majorem Hostiam quam asservabatur in Pixide, ut exponeretur in die solemni populo. Queritur, an ille prudenter fecerit? R. cum in Missa debeat populo exhiberi adoranda Hostia in illo sacrificio consecrata, & oblata, talem cautelam non esse approbandam; melius tamen meo iudicio fecisset, si & majori isti Hostiæ alteram parvam consecratam per illud sacrificium simul adjunxisset, quod facile fieri poterat, exhibendo utramque adorandam. Sic enim satisfaceret æremo-

nia

nia huic sacrae, quâ hostia sacrificii hujus populo ad adorandum exhibenda præcipitur. *Vide Diana p. 5. tract. 14.*

4. **QUAERO.** *An aliquas caeremonias omittere inter celebrandum, vel addere, semper sit peccatum mortale?* Resp. I. in his etiam excusare posse rationabilem causam, vel levitatem materiae, Ex. gr. omittere *Credo, vel Gloria, vel Cõmemorationem aliquam, facilè excusatur à mortali: quia non sunt partes simpliciter necessariae ad Missam, nec quid notabile ad integritatem Missæ spectans constituunt. Nec si paulò post quis recordetur, debet repetere quia moraliter non contingit id fieri sine aliqua interturbatione, & incommoditate. Similiter dic non esse nisi veniale, & quandoque nullum peccatum; caeremonias aliquas, quæ inter principales non adnumerantur, si ne contemptu prætermittere, v. g. omittere crucem aliquam, manuum elevationem, pectoris tunctionem, &c. Illa verò quæ notabilia censentur inter partes integrantes Missæ, vel caeremonias*

monias principales omittere, potest esse mortale, nisi inadvertentia vel oblivio naturalis excuset. Ex. gr. voluntariè vel gravi negligentia omittere Epistolam, vel Evangelium, aut oblationem panis seu vini: Item mixtionem aquæ cum vino, fractionem hostiæ, & mixtionem cum sanguine, & similia. Quia hæ partes & ceremoniæ gravioris momenti censentur, eo quod contineant specialem significationem, & soleant ad integritatem sacrificii requiri. Similiter dic non licere addere novas preces ex devotione: unde & hic indiscretio, & peccatum intercurrit contra prohibitionem Pii V. in Missali, præsertim si publicè dicantur: Si ut privata persona secretè aliquid recitet quis, licet non videatur directè contra hoc præceptum: indiscretio tamen est, sacerdotum ministerium privatis precibus interrumpere. Aliud est, si quis pia jaculatoria oratione mentali animum in Deum elevat. Adverte etiam hic quosdam dixisse, v. n. verbum Ca-

nonis

nonis per negligentiam culpabilem omittere, esse mortale: Sed id nimis durum, quia & levitas materiæ hic videtur excusare. Quis enim unius Sancti nomen in Canone omissum statim asserat materiam esse peccati mortalis? Dicamus ergo, & hic negligentiam venialem censendam esse in uno aut altero verbo omissio, ne animas illaqueemus.

5. *QUAERO. An Sacerdos ob stipendium, aut institutionem Capellania obligatus dicere Missam determinatam, puta Missam mortuorum, aut B. Maria, peccet aliam Missam legendo?* Resp. si id fiat ad servandum ordinem Missalis, aut quia festum sit, non peccari. Si verò nulla legitima causa subsit, obligationi debet satisfacere. Ubi tamen prudenter advertendum est, vitandum esse, quantum potest fieri, murmur populi in similibus: sed nec sine legitima causa ordo Missalis facile debet interrumpi. Quod si etiam fundatio habeat in certo altari celebrandum, non satisfacit, sine justo impedimento, & debita causa, alibi cele-

cele-

celebrando; quia defraudatur mens fundatoris, qui hunc locum specialiter voluit coli.

6. *QUAERO. An Sacerdos pauper possit accipere pro una Missa duplex stipendium?* Resp. non posse, sive id fiat ab una & eadem persona, sive à pluribus, quia dum ei datum est stipendium, à Superiore vel approbata consuetudine declaratum iustum, aliud stipendium accipiendo, bona sumit alterius invito Domino; quod non licet nisi in extrema vel gravi necessitate, non verò in ordinaria paupertate. Sicut ergo operarius ob paupertatem non potest plus accipere iusta mercede; ita nec Sacerdos iusto stipendio. Quod si stipendia non sint integra, potest vel à diversis, vel ab eodem tantum accipere, quantum sufficit ad iustum stipendium: alioqui enim fit ei aliqua injuria, & potest se indemnitate servare. Hinc infero, quod si Sacerdos semel iusto stipendio contentus fuerit, non poterit illud ad majus reducere minuendo Missarum numerum.

rum, secus de injusto stipendio, si involuntariè omninò illo contentus fuerit, fit enim ei injuria cum ob paupertatem cogitur inæquale stipendium acceptare, unde potest, non obstante pacto, convenienti modo se indemnem servare.

7. *QUAERO. An Sacerdos qui hodiè à nemine stipendium accepit. Missam quæ celebrat, applicare possit illi, qui primus dabit illi stipendium?* R. quidam Theologi (inter quos Navarrà, Aragonius, Henriquez, Rodriguez) posse: quia Deus apud quem nulla est distinctio inter præteritum & futurum, sed omnia habet pro præsentibus, applicet fructum secundum intentionem Sacerdotis. Negant verò alii hac ratione, quia Sacrificium Missæ consistit in actione transeunte, cujus fructus si à Sacerdote alicui particulari personæ non applicetur, in Ecclesiæ thesaurum reponitur, in quo ulterius nihil habet juris Sacerdos, sed solus Pontifex. Quicquid sit de hoc, hic modus non est approbandus: qui communis etiam

iam

jam mens Fidelium, est stipendium dare non pro Missa jam dicta, sed pro dicenda: nec facile videntur persolventuri, si hunc modum scirent, unde saltem hic modus non est tutus.

8. *QUAERO. An is cui datur certa summa pro Missis, possit alios minori pretio conducere? Resp. si det justum stipendium, non videri hic injustitiam committi: quia nihil deperdit ille cui Missa integrè applicatur, & sacrificanti etiam non fit injuria, si istud stipendium illi persolvatur: ideoque cum ipse hanc summam accipiēs, illius dominium sit assecutus, potest implere illam obligationē annexam per se vel per alium. Hic tamen modus cum frequenter contineat speciem alicujus turpis lucri, haud est consulendus. Post hæc scripta Congregatio Card. sub Urbano VIII. nonnulla strictè ordinavit de stipendio celebrantium, ut amoveret ab Ecclesia omne turpe lucrum. Vide Dianam 3. p. tr. 14. prohibet Sacerdoti accepto semel stipendio, licet minus justum judicetur, iterum accipere*

cipere ab alio aliud, & solum semel cele-
 brare pro utroque. Item prohibet illi qui
 pro Missis accepit stipendium, minori
 pretio alios conducere. Item prohibet Mis-
 sam applicare illi qui postea obtulerit sti-
 pendium. Denique prohibet diebus festis
 simplex accipere stipendium. Alia multa
 precipiuntur, quæ an sint satis pub-
 lica & recepta, nolo disputare.

9. QUÆRO. Quale peccatum com-
 mittat; qui diu differt per magnam negli-
 gentiam Missas dicere, ad quas obligatur
 stipendio? Resp. aliquos judicare hoc
 esse peccatum mortale, ob grave da-
 mnum quod potest consequi is pro
 quo celebrandum est. Fortè enim
 anima aliqua è Purgatorio liberata
 fuisset. Item is pro quo celebra-
 tum erat, notabile bonum spirituale
 vel corporale consecutus fuisset: ita-
 que à gravi saltem veniali, vel peri-
 culo mortalis, supinè negligentem
 non excusarim. Sed dices, defrauda-
 tionibus Regalis, qui solet dari pro u-
 na Missa, non est materia peccati mor-
 talis: ergo aliquem defraudare Missâ,

non

non videtur peccatum mortale? Respondeo ex ea parte præcisè ita videri: attamen cum fructus Missæ inestimabiles sint, & ad hos applicandos ex pacto teneatur Sacerdos, defraudatio videtur in re notabili.

10. *QUAERO.* *An mulier possit ministrare?* Resp. ex communi non posse, ob capitulum de cohabit. Clericorum & mulierum, Ratio est, quia per se indecens est, & nonnullum periculum continet contra puritatem & munditiam tanti Sacramenti. Addit Soto & probat Suarez, in necessitate potius celebrandum sine ministro, quam feminâ ministrante: quia hoc sit expressius jure prohibitum, & videtur indecentius, Quibusdam tamen in locis jam consuetudine receptum est, ut apud Moniales puellulæ decem aut duodecim annorum ad id instructæ, ministrare permittantur ibi celebrantibus, quod quidam sine scrupulo etiam timorati ob consuetudinem usurpant in Provinciis Belgicis, Episcopis id etiam scientibus, nec severius prohibentur.

hibentibus. Unde non ausim conde-
 mnare id gravioris peccati, ubi con-
 suetudo præscripsit, nec periculum
 putatur. Hac de re tamen Hispani aut
 Itali Doctores severius videntur lo-
 qui, quia in illis Nationibus majus
 periculum, aut inordinatio judicatur
 in similibus. Nota Capitulum de co-
 hab. cleric, & mulierum sic habet: *in-*
hibendū quoque ut nulla femina presu-
mat accedere, aut Presbytero ministrare,
aut inter cancellos stare vel sedere. Ubi
 indicat, non debere mulieres admitti
 intra chorum. Quod est contra Domi-
 cellas eligentes sibi locum propinquē
 ad altare, non sine indecentia & distra-
 ctione Sacerdotum. Cur rei Episcopo-
 rum auctoritas deberet obviare, quan-
 doquidem jure prohibeatur.

CAPUT VI.

*De causis à Missa audienda
 excusantibus.*

QUAERO. *Quanam causa à Missa
 audienda excusent?* R. ex com-
 muni Doctorum interpretatione, ac-
 cedente etiam consuetudine hanc in-
 terpre-